



## **Jus Canonicum In V. Libros Decretalium Distributum**

novâ Methodo explicatum, Omnibus Capitulis Titulorum (qui in Antiquis, & novis Libris Decretalium continentur) promiscuè & confusè positis, in ordinem doctrinæ digestis. Adjunctis Aliis Quæstionibus Connexis, Quæ Ad Plenam Cujusque Tituli, Aut Materiæ Cognitionem, Et Expositionem Pertinent. ...

Respondens Libro Quinto Decretalium. In Quo De Judicio, Seu Ordine Judiciario criminali, nec non de criminibus Ecclesiasticis, & secularibus ... agitur ...

**Pirhing, Ehrenreich**

**Dilingae, 1677**

Titulus. XXXII. De Novi operis nunciatione.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-98302](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-98302)



denunciatio novi operis non præcessisset, *Gl. fin. hñc & Hostiens. in fine.*

V. Quæritur tertio, cui jus nunciandi novum opus competat? Resp. in primis nunciare potest is, ad quem res pertinet, cui damnum imminet, *cit. l. 1. §. pen.* Secundò, non tantùm is, qui est verè Dominus rei, sed etiam qui utile tantùm dominium habet, ut feudatarius, emphyteuta, quin & superficiarius, *l. 3. §. Si ego, & creditor, cui prædium nomine hypothecæ subiectum est, l. Creditori. 9. ff. h. t.* Tertio, competit jus nunciandi habenti servitutem realem in fundo, in quo de novo ædificatur, *cit. l. 3. §. Si ego, saltem urbanam, imò etiam rusticam, cit. l. 3. §. pen. l. Non solum. 8. in princ. ff. eod. cum utriusque juri ædificando noceatur, Hostiens. in summ. hñc n. 5. Zaf. ff. h. t. n. 6.* Quarto, qui servitutem merè personalem habet, non potest nunciare, suo nomine, opus novum adversùs Dominum, sive proprietarium prædii, si aliquid in eo ædificare attenter, *l. 1. §. fin. ff. h. t.* quia usufructuarius habet solum usufructum in re, dominio proprietatis penes alium existente, ideòque æquum fuit, ut nunciatio ei solum concederetur, nomine ac loco proprietarii, *Molin. cit. dif. 706. n. 25. in fine.* Quintò, procurator vel negotiorum gestor potest novum opus nunciare, nomine domini sui, modò speciale ad id mandatum habeat, *Molin. c. l. n. 29.* Sextò, pupillus si res ad illum pertineat, nunciare opus novum potest, cum tutoris auctoritate, *l. de pupillo. 5. in princ. ff. h. t.* Septimò, servus non potest, suo nomine, et si nomine Domini possit in re privata, *cit. l. De pupillo. 5. Servo & ibi Gl. V. Non potest.*

VI. Quæritur quartò, ubi & cui fieri possit nunciatio novi operis? Resp. ea faciendà est in re præsentì, id est, ubi opus fit, *l. De pupillo. 5. ff. h. t.* non est autem necesse, ut fiat Domino, sed sufficit fieri ei, qui ibi existens est ad finem operis, ut fabri, seu opifices, & cuicumque, etiam puer, vel mulier, nunciatio operis fieri potest, *cit. l. De pupillo. §. Nunciari autem. ff. h. t.* imò etiam infanti, & furioso fieri potest, modò alii ad sint, qui intelligant, *l. Cui libet. 1. 1. iuncta Gl. V. Et si furiosum. ff. h. t.* quia nunciatio fit in rem, sive rei, non personæ. *l. Operis. 10. ff. eod.*

VII. Quæritur quintò, quibus modis, & quando fieri possit nunciatio novi operis? Resp. primò tribus modis, prout habetur in *cit. l. De pupillo. §. Meminisse. ff. h. t.* Primò verbis, denunciando & inhibendo, ut id opus non fiat, in suum aut publicum præjudicium, aut ut non continuetur. Secundò, fit per manum, id est, lapilli iactum, in eum locum, ubi opus fit: simul tamen addi debent verba, quibus denunciatur, ne opus fiat, vel ne ulterius in eo procedatur, non enim omnis, qui lapidem projicit, intendit novum opus nunciare, *Hostiens. in summa n. 8. h. t.* quum aliqui dicunt ter fieri debere, *Silvest. V. De nunciatio. novi operis q. 4.* Tertio, per Prætorum, seu Judicem, adeundo illum, & ab eo petendo, ut novum id opus nunciet, sive inhabeat, qui per se ipsum aut per tabellionem, vel aliam personam id præcipiat, *Molin. cit. dif. 706. n. 5.* Est autem hoc discrimen inter primum modum, qui fit per verba, & duos posteriores, quòd qui nunciat primo modo, simpliciter verbo, si in possessione sit ejus, circa quod fit nunciatio, eam amittit, & adversarium, cui nunciat, possessorem facit, *cit. l. 1. §. In operis & cit. l. 5. §. Meminisse. ff. h. t.* quod

non est, si nunciet, aliquo ex duobus posterioribus modis, quia non facit eum possessorem, sed possessionem retinet, *Gl. in cit. §. In operis. V. Adversarium. Silvest. c. l.*

Resp. secundò, potest nunciatio novi operis quolibet die fieri, etiam feriato, & Deo Sacro, *cit. l. 1. §. Item nunciatio, iuncta Gl. V. Omnibus diebus. ff. h. t.* quia extra jus, sive iudicium fieri potest. Et quamvis interdum adeatur Prætor, sive Index, non tamen proceditur per causæ cognitionem, Iudice sedente pro tribunali, sed de plano tantùm, *Zaf. ff. h. t. n. 12.* Denique etiam adversùs abentes, quorum nomine ædificatur, & invitos, & ignorantes fieri potest novi operis nunciatio, cum fiat in rem, non in personam, *cit. l. 1. §. Et adversus, & ibi Gl. V. Abentes. ff. h. t.*

## §. II.

### Quis sit effectus nunciationis novi operis?

VIII. Resp. Effectus primarius est, ut quicquid ædificatum est, post nunciationem factam, totum demoliri debeat, expensis ipsius ædificantis, sive jure, id est, iustè: sive injurià, id est, iniustè ædificatum fuerit, quod ex post facto apparebit, scilicet cognita veritate, prout statuitur in *l. 1. in princ. & ibi Gl. ff. h. t. & l. Prætor. 20. §. 1. & §. Aut Prætor. ff. eod. & in l. 1. & ibi Gloss. V. Sive jure. ff. h. t.* Ubi ait, simile esse in excommunicatione, quæ tenet semper, sive iusta sit, sive injusta, *Hostiens. hñc num. 12.*

Idem etiam statutum est in c. Cum ex injuncto. 2. h. t. & ibi Gl. in casu. Nam cum Archiepiscopus Cantuariensis quendam Capellam in loco pertinentem ad Ecclesiam Cantuariensem, cœpisset ædificare: Monachi Cantuarienses, qui eandem Ecclesiam regebant, novum opus ei denunciabant, sed ipse Archiepiscopus, spretà denunciatione, ædificavit Ecclesiam, & Canonicos in eadem instituit, eisdem redditus assignando, & recipiendo etiam ab ipsis iuramenta fidelitatis, de quo Monachi Cantuarienses Papæ Innocentio III. graviter sunt conquesti. Quare Papa mandavit Cantuariensi Archiepiscopo, ut quicquid ædificatum est in prædicta Ecclesia, post novi operis nunciationem ipsi factam, suis expensis faciat penitus demoliri & destrui, non obstante, quòd forte abens fuerit, cum in lege, seu jure sit cautum (*l. 1. §. Sed si is. ff. h. t.*) ut si ille, cui opus novum fuerit nunciatum, ante remissionem, ædificaverit, & postea agere cœperit, sibi jus esse ita ædificare, debeat ipsi actio denegari: ideòque in irritum reducat, quicquid de instituendis ibidem Canonicis, & aliis ad eandem Ecclesiam pertinentibus, ab ipso, vel ejus Antecessore ordinatum est, reditusque eorum ad pristinum statum revocet, & Canonicos ab obligatione præstiti juramenti, cum institui fuerunt, auctoritate Papali absolutos denunciaret, quia cum non teneat principale, quicquid ex eo, vel ob id secutum est irritari debet.

IX. Pro explicatione hujus c. notandum primum, non sufficit, si is, qui post denunciationem novi operis,

operis, ædificavit, patiatur opus demoliri, sed etiam propriis sumptibus ejus, cui denunciatum est, illud destruendum est, *Gl. hic in notat. & Abb. not. 1.* Idque procedit, etiam si novum opus nunciatum fuerit antecessori ædificantis, prout factum fuit in casu hujus c. secundum *Gl. hic V. Expensis*: nihilominus tamen debet destrui sumptibus successoris, dammodo idem successor ratum habuerit, vel post denunciationem factam, prosecutus fuerit opus ab antecessore inchoatum, sciens denunciationem esse factam, prout in casu hujus c. cum scivisse colligitur ex illis verbis *S. Super eo. ibi: te saltem pro vitando scandalo &c.* hoc enim interdictum datur hæredi, & contra hæredem, cum in vitium succedit, sciens nuntiationem esse factam, *l. Prætor. 20. S. Hoc interdictum. ff. h. t. Gl. hic V. Expensis, junct. Gl. margin. lit. C. Hostiens. V. eod. Abb. hic n. 8.* & quidem etiam post annum datur, *cit. l. Prætor. S. ult.* imò etiam transit in singularem successorem, ut in emptorem, quia non in personam, sed in rem datur, *l. fin. ff. h. t.*

Simile est in spolio, quod transit ad quosvis successores, ad quos pervenit res eo vitio affecta, *c. Sa-pe. 18. de restit. spol. & ibi communiter DD.* quamvis aliàs hæres ejus, cui opus nunciatum est, solum teneatur ad præstandam patientiam destruendi operis, non autem ad prænam impensarum, ut tuis sumptibus destruat, quia hæres in eam prænam non succedit, *l. pen. ff. h. t.* quod verum est, nisi hæres, vel alius successor, aut emptor ratum habuerit ædificium ceptum ab antecessore, vel illud sciens nuntiationem esse factam prosequatur aut perficiat, hoc enim casu, interdictum hoc, quoad omnes effectus, transit in successorem, etiam in dignitate, *Fagn. hic n. 7.*

X. Notandum secundò, si is, cui novum opus nunciatum est, velit probare, sibi jus ædificandi competere, ante destructionem novi operis, admitti non debet ad probandum, nisi prius omnia reducat in pristinum statum: quamvis ipso jure non repellatur ab agendo, sed per exceptionem oppositam, ante litem contestatam, cum sit exceptio dilatoria, repelli possit, ut colligitur ex hoc c. ibi: *actio ipsi denegari debet*: alioquin eà non opposita, si docuerit de jure suo, sententia pro illo feretur, sine destructione novi operis. Sicut etiam spoliator volens probare jus proprietatis sibi competere, non est audiendus, ante restitutionem spoliati in possessionem, *c. fin. de ordine cognis.* quamvis si eà exceptio spoliationis non opponatur, & actor probaverit jus proprietatis, pro illo ferenda sit sententia, & proprietatis prævalebit possessio, *Abb. hic n. 2. 3. & 4.*

Notandum tertio, præstans juramentum super re aliqua, eà re cessante, est absolutus à juramento; sic in casu hujus c. Canonici Ecclesiæ de novo ædificata jurarunt Episcopo obedientiam, & quòd residuum in illa, sed eadem destructa censentur, auctoritate Superioris, absoluti à juramento, quia cessat causa, ob quam jurarunt. Sic etiam si quis juret obedientiam alicui electo ad dignitatem, vel officium, eo deposito, non tenetur amplius illi obedire, quia fundamentum, sive ratio fundandi obligationem juramenti corruit, ut colligitur ex *c. Venerabilem. 34. de Elect. Abb. hic n. 6.*

XI. Notandum quarto, quando Ecclesiæ, vel civitas, vel alius locus, sive sacer, sive profanus, de-

struitur, legitimam auctoritate Superioris, vel propter delictum Clericorum, vel civium, tum nullus deinceps debet vocari, tum civis illius loci, & locus ille omnia privilegia, jura activa, & passiva perdit, & desinitur vel Civitas, uti sumitur ex hoc c. *junct. l. Placuit. 26. de off. p. hoc diximus. 9. junct. à Gl. V. De fructu. 1. de off. p. c. Abbate. 25. S. ult. & ibi Gl. fin. & Hostiens. nisi tamen locus postea, auctoritate Superioris, reedificatus fuerit: tum enim recuperat omnia privilegia. Secus est, si talis locus per violentiam ab hostibus, vel terre motu, vel pericula alicujus, vel alià ratione, quam Superioris auctoritate: tunc enim retinet omnia sua privilegia, & Clerici, seu cives nomen suum, & etiam tuis, alii, eorum loco, substituendi sunt, *l. 1. c. 2. n. 2. h. t. Abb. n. 5. & Glossator ipsius de hoc lit. F. Fagnan. ibid. n. 10. & Jo. de Bello. lect. ibid. n. 4.* Idemque dicendum, si Clericorum, vel universitas Civium, antea prioris in alium locum transferatur, vel destruitur, *Annoc. c. l. & alii apud Fagn. c. l. n. 14. quo etiam aliquid dictum lib. 3. tit. 4. de off. p.**

XII. Cæterum quod dictum est, tum, post novi operis denunciationem, tum ædificando cessare, & opus ceptum destruere cum habet, non solum, si jure sit factum, quia is nullum jus ædificandi habet, sed etiam si, sive injuste, quia jus habet ad ita ædificandum, *l. 1. in princ. l. Prætor. 20. S. 1. & ibi h. t.* Ratio est, quia si post novi operis nuntiationem licitum esset ædificanti excipere, se jus ædificandi habere, idque probare paratum, & denunciatorem rixæ orirentur, & res facile ad rem ideo publicæ pacis, & tranquillitatis causâ, daretur, ut quamvis ædificans denunciatum verum ædificationem habere, tamen ab ædificando ab alioquin si spretâ denunciatione pergeret, totum quod post interpositam denunciationem facti sumptibus destruere teneatur, in prænam hæredientia, & contumacia. *Molin. cit. de hoc c. cedit, quòd is, cui facta est nuntiationis, potest se tueri, viâ juris, adeundo Judicem, tendendo ab eo remissionem operis: si ergo innoxius, sed viâ facti processerit, & ædificare pergit, opus postea factum demoliri debet, ob causam Prætoris auctoritatem, etiam si jus ædificandi habuerit, *Gail l. 1. obs. 16. n. 2.**

XIII. Præterea in *cit. c. 2. S. Super eo.* Idem Innocentius III. valde miratur, quòd Monachi Cantuarienses omnia propter delictum miserint, & tot periculis personas, & res, quod dubitaverint frequenter exponere (quod non debent, nisi cognoscerent facta ab Archiepiscopo, vel Ecclesiæ Cantuariensis detrimentum non esse, quia cum sint viri Religiosi, non est præsumendum, quòd injustam causam foverent. *Hostiens. de hoc c. fecissent.*) dictus Archiepiscopus ad vitandum grave scandalum proximorum, ab hujusmodi juramento ipsi prohibitis non cessavit, cum juramentum non possunt (sicut est adorare Deum, parere, rare, Sabbatū sanctificare, & alia hujusmodi)

affirmativa servare) ob scandalum vitandum, o-  
mittenda non sint: nec illa, quæ sine peccato mor-  
tali committi, sive fieri non possunt (ut est adul-  
terium, furtum, vel aliud peccatum mortale, con-  
tra præcepta negativa Decalogi committere) pro-  
pter scandalum vitandum committi non debeant:  
attamen ab illis, quæ sine peccato mortali pari-  
ter vel omitti possunt, vel committi, abstinendum  
est, vel ea sunt facienda, ut scandalum tollatur,  
aut vitetur (cujusmodi sunt ea, quæ ex se sunt in-  
differentia v. g. comedere carnes, & alia similia, Ho-  
stiens. hic v. Unde.) Et quamvis Majorum, id est,  
divitum, & potentium, qui sub se multitudinem, seu  
populum habent, Gl. fin. hic) scandalum sit vitan-  
dum: est tamen etiam scandalum minorum, seu  
pupillorum vitandum, juxta illud Christi, Math.  
18. qui scandalizaverit unum de pusillis istis &c.  
In fine mandat Papa prædicto Archiepiscopo, ut  
his finem imponat, ita ut præterita illius contra-  
dictio per virtutē sequentis obedientiæ expietur.

XIV. Hinc colligitur, quod ob vitandum scan-  
dalum non sunt omittenda, quæ sine peccato mor-  
tali omitti non possunt, ut baptizati, poenitentiam  
agere, Horas Canonicas dicere: nec facienda, quæ  
sine peccato mortali omitti non possunt, ut si pue-  
la consentiat in stuprum, ne is, qui illud petit, se  
ipsum occidat. Contrā verò potest quis ad vitandum  
scandalum facere, quod sine peccato mortali fieri  
potest, v. g. Regularis ad tempus gestare habitū secula-  
rem: vel omittere, quod sine peccato mortali omitti  
potest, v. g. correctionem propter multitudinē delin-  
quentium, quæ regulæ colliguntur ex cit. c. 2. §. Super  
eo. h. t. & tradit Jo. Andr. ibid. n. 11. & Abb. n. 7. Fagn. n. 9.

## §. III.

Quibus casibus, ac modis cesset nun-  
ciatio novi operis, ita ut vim, &  
effectum non habeat?

XV. Responderetur, cessat primò, si nuncians re-  
miserit nunciationem factam ædificanti novum o-  
pus, cit. c. 2. ibi: ante remissionem ædificaverit. h. t. & l.  
Non solum. 8. §. Sciendum. ibi: donec remissio nuncia-  
tionis fiat. ff. eod. & l. unic. in princ. ff. de remissionib. quæ  
remissio fit vel expressè, & tunc si jus ædificandi ha-  
bet, rectè ædificabit, cit. l. Non solum. §. Sciendū, juncta  
Gl. v. Remissio. ff. h. t. Vel tacitè, scilicet morte ejus, qui  
nunciavit, extinguitur nunciatio, cit. l. Non solum. §.  
Morte ejus, Gl. in cit. c. 2. v. Remissio. h. t. quod intelli-  
gendū est, si moriatur, re adhuc integrā, antequā ali-  
quid ædificatū esset: nam si re non integrā, sive post-  
quam aliquid de opere factum est, moreretur nun-  
cians, hæredi ejus competere hoc interdictum nuncia-  
tionis: quomodo intelligi debet textus in l. Præ-  
tor. 20. §. Hoc interdictum. 1. ff. h. t. Gl. in cit. l. Non  
solum. §. Morte. v. Extinguitur. eod. Hostiens. in summa  
num. 10. & 11. eod. Morte autem ejus, cui opus no-  
vum nunciatum est, non extinguitur nunciatio, cit. l.  
Non solum. §. ult. Ratio autem diversitatis, cur nun-  
ciatio extinguatur, morte nunciantis, non autem  
morte ejus, cui opus nunciatum est, traditur à Gl. in  
cit. l. Non solum. §. ult. v. Etiam hæredi, juncta Gl. mar-  
gin. lit. H. quia nunciatio, ex parte personæ nuncia-

te, est realis, quia fit in rem, l. Operis. 10. ff. h. t. adeo-  
que morte illius non extinguitur, sed ad successo-  
rem ejus transit, in id, quod ad ipsum pervenit: vel si  
dolo ipsius factum sit, quominus perveniret, cit. l.  
Prætor. §. Planè. ff. h. t. At verò ex parte personæ  
nunciantis, nunciatio est personalis, adeoque morte  
illius extinguitur, nisi quis suo, & hæredis nomine  
nunciaverit, cit. l. Non solum. §. ult. & ibi Gl. margin.  
non tamen hæres, etiam nunciati, succedit in pec-  
nam, Hostiens. hic n. 11.

XVI. Secundò cessat nunciatio novi operis, si  
nuncians cautionem recepit à denunciato de opere  
demoliendo, si constitit ipsum jus ædificandi non  
habuisse, vel etiam, si per nunciatum non stet,  
quominus satis det, quia competentem satisfa-  
ctionem obtulit, quæ tamen acceptata non fuit, l.  
De pupillo. §. §. Si is, cui, & l. Prætor. 20. §. Deinde.  
& §. Hoc interdictum. ff. h. t. Hostiens. in summa h. t.  
n. 11. Porro si is, cui nunciatio facta est novi ope-  
ris, offerat satisfactionem de opere demoliendo, si  
constitit ipsum jure ædificare non posse, non te-  
netur nuncians illam cautionem recipere, si paratus  
sit, & velit, vel in continenti, vel intra tres menses,  
probare, se jure prohibere, & impedire ædificium in  
sui præjudicium attentatum: quibus elapsis, si id non  
probaverit nuncians, potest denunciatus, præsti-  
tā satisfactionem, vel eā oblata, sed non admittā à nun-  
ciantē, ædificare, Hostiens. hic cit. l. n. 11.

XVII. Idque sumitur in primis ex c. Significan-  
tibus. 3. h. t. ubi habetur, quod quidam Civis Pa-  
risiensis cepit ædificare, in platea quadam, in  
præjudicium Ecclesiæ S. Oportunæ, cui Canonici  
ejusdem Ecclesiæ nunciaverunt opus novum, &  
super hoc gravamine quæstionem, seu querelam  
deposuerunt coram Officiali Parisiensis Archidia-  
coni, offerentes se incontinenti probaturos, pla-  
team illam ad suam Ecclesiam pertinere, & illum  
in suum præjudicium ædificare. Unde petebant  
eum prohiberi, ne ædificaret: non obstante, quod  
dictus Civis offerebat cautionem de opere demo-  
liendo, si apparet ipsum jus ædificandi non ha-  
bere: ideoque idem Officialis interloquendo de-  
crevit, probationes Canonicorum admittendas  
esse, & ab opere interim quiescendum. (Idque  
bene decretum fuit, quia non obstante, quod cautio  
oblata ab ipso cive fuerit, tenebatur is expectare,  
usque ad tres menses, adversarios volentes probare  
jure se prohibere ædificium, juxta c. ult. h. t. & l. un.  
C. eod. Gl. hic v. Interloquendo) à qua interlocuto-  
ria sententia idem Civis Parisiensis ad Senonen-  
sem Curiam, seu Ecclesiam (scilicet Metropolita-  
nam, omisso Episcopo medio, Gl. fin. hic) provo-  
cavit. Sed Officialis Curie Senonensis, sive Me-  
tropolitane interlocutoriam sententiam cassavit,  
& decrevit, ut prædictus Civis in opere constru-  
endo procederet, præstitā prius cautione de ipso de-  
moliendo, si jus ædificandi non habuerit, non  
admissis probationibus Canonicorum, qui ad Se-  
dem Apostolicam appellarunt, & petierunt, ut  
Papa mandaret probationes ipsorum recipi, & æ-  
dificium interim prohiberi. Quare Papa Hono-  
rius III. mandavit, ut si ita est, quicquid attenta-  
tum est, post hujusmodi appellationem, irritetur,  
& in pristinum statum revocetur.

XVIII. No-

XVIII. Notandum primò, nuncians novum opus, si vult impedire, sive prohibere ædificium, debet vel incontinenti, ut in casu hujus c. vel saltem intra tres menses, juxta c. ult. h. t. probare, se jure id prohibere: alioquin post lapsum trium mensium, potest procedi in ædificio, præstita cautione à denunciato de opere novo demoliendo: nihilominus tamen procedatur in causa principali, ita ut si nuncians probare velit jus suum prohibendi ædificium, admitti debeat, *Abbas hic n. 2.*

Notandum secundò, appellatum fuit in casu hujus c. ab Officiali Archidiaconi, qui causam hanc cognoscebat, fortè ex jure, seu privilegio speciali, vel consuetudine, cum aliàs de jure communi Archidiaconus jurisdictionem non habeat, ut putat *Hosiens. hic, & Jo. Andr. n. 2.* vel potius dicendum, quòd in casu hujus c. quia Laicus iste ædificando turbavit Canonicos in jure suo, ideo potuit conveniri coram Judice Ecclesiastico, sive Episcopo, *Abb. hic not. 2.*

Notandum tertio, appellatio à sententia lata super demolendo opere post nunciationem novi operis constructo, admittitur, quoad utrumque effectum suspensivum, & devolutivum, *Barb. hic n. 4.* Nam quia in casu hujus cap. Officialis Senonensis interlocutoriā sententiam per Officiale Archidiaconi Parisiensis ritè latam injustè revocavit, & decrevit, Civem Parisiensem posse ædificare, præstita cautione de opere demolendo, cum tamen Canonici S. Oportuna parati essent probare jus suum, ac præjudicium, quorum probatio usque ad tres menses expectanda fuisset, ideo Canonici illi justè appellarunt ad Papam, quia à sententia interlocutoria, secundum Canones, appellari potest, *Hosiens. hic V. Decrevit, & Jo. Andr. ibid.* ideo Pontifex omnia post appellationem attentata in irritum revocavit.

XIX. Similiter in c. Is cui 4. ult. h. t. Gregorius IX. confirmat, quod suprà dictum est, nempe quòd si quis opus novum alicui nunciavit, eò quòd in suū præjudicium ædificare volebat, non obstante cautione de opere demolendo ab ipso oblata, si non jure ædificatū appareat, teneatur is, cui nunciatio facta est, expectare nunciatum per tres menses, si hic cautionem recipere nolit, sed præjudicium sui juris probare velit. Neque obstat, quòd si ille, cui denunciatur novum opus, cautionem præster, vel per eum non stet, quo minus satsdet, licetè possit ædificare, l. Non solum 8. §. Si cum possem, & §. Sciendum, l. Prator 20. §. Si quis paratus, & §. Deinde ait, & §. Hoc interdictum, l. Stipulatio 21. §. 1. ff. h. t. Nam prædicta jura intelligenda sunt, quando is, qui nunciat novum opus, nullas offert probationes, nec incontinenti, nec infra tres menses, si enim hoc faciat, is, cui nunciatio facta est, interim cessare debet ab ædificando, *Gl. hic V. Non obstante. Hosiens. ibid. V. Teneatur. Molina cit. dis. 706. n. 44. & 45.*

XX. Notandum hic præterea primò, nunciatio novi operis non tollitur per idoneam cautionem ab eo, cui nunciatio facta est, oblata, neque talis obligatio cautionis de opere destruendo dat denunciatio facultatem prosequendi ædificium, nisi vel denunciatus consentiat, vel intra trium mensium spatium à tempore denunciationis, vel à tempore cautionis oblata à nunciato (ut vult *Molin. o. l. n. 45.*) se justam causam nunciandi habere probet, non enim

ultrà expectare tenetur denunciatus, cum præjudicio, sed post hoc tempus clausum, ædificare poterit, *Gl. hic V. Non obstante.* Itaque in optione nunciantis est postulare cautionem à nunciato exigere, & recipere vel non, prædicta nunciatio remittitur, & nunciatum ædificare poterit: an verò cautionem recipere, sed causam principalem expediri poterit, paratum esse ad probandum, & jura probanda nunciatum ædificet, competere: de tunc nunciatum sunt præfinitum, intra quos de jure nunciatum quòd si non faciat, elapsis tribus mensibus, nunciatum ædificare, dummodo cautionem præstat, opere destruendo, si non jure ædificatum vel per eum non stet, quominus latius, præstat habetur in l. unic. C. h. t. per quam non est minus Jus antiquum, ut putat *Facin. l. 3. contra id tantum ibi Imperator interpretatur, præ-*

XXI. Notandum secundò, prædicta cautione utiliter provifum est, tam quia nunciatio, quàm denunciatio: nam læperius dicitur se habere jus ædificandi, ædificat non habeat: unde si talis posset licetè ædificare, latà cautione, posset fieri ut non solum penfas factas in ædificando, sed etiam destruyendo opere, quòd ædificatum est, ab ipso est ipsi expectare denunciante per eum, nam si hic probaverit de jure suo, pateretur indemnis, quia denunciatus non ædificat, parcat sumptibus aliàs faciendis in destructione, si ædificasset, cum jure non posset. Hinc utilis denunciatio, nam si jus ædificandi non non competeret, & tamen ædificare impo- set, oblata cautione, magnum interitus per nunciantem generare posset, ædificando in quo tam domus ipsius, vel in alio loco ipse periret, *Jo. Andr. in cir. c. ult. n. 1. & Abb. ibid. in fine.*

XXII. Tertio cessat, sive tollitur nunciatio novi operis, si is, qui nunciavit, nolit coram Juratore de calumnia, hoc est, juramento adhiberi, quòd justam causam nunciandi habet, que impedire posse ædificare volentem, & non malitiose, animo impediendi operis, & non ædificandi, hoc juramentum præstat, si is, cui nunciatio facta est, id exigat: quod si recuset, remittitur à lege nunciatio, & per eum habetur, l. de pupillo 5. §. Qui opus, ff. de pupillo in Summa h. t. n. 11. in fine. *Molin. cit. dis. 706. n. 44. & 45.*

XXIII. Quarto cessat nunciatio, si sit periculum in mora, nec ligat nunciatum, si sit periculum in mora dilatio ædificij grave damnum allaturum probetur, tunc enim nunciatio impeditur, *Abb. in c. 2. n. 9. h. t. Gail l. 1. c. 1. obf. 16. n. 1. & Jo. generaliter procedit in omnibus ipsi operibus, quorum mora periculum aliquod allaturum est, quoque contemnenda est novi operis nunciatio, l. de pupillo, §. Præterea, ff. h. t. ubi ratio datur quia multo melius est omitti operis novi nunciatio, quàm impediri operis necessarij urgentem rationem, quòd *Gl. ibid. V. Periculum.* explicat de periculo communi, seu universali totius Civitatis, vel nix, propter quod possit sperni nunciatio, ob periculum speciale, seu privatum ejus, qui nunciatio, saltè regulariter. Ratio generaliter*

mitationis est, quia quoties periculum est in mora, recedere licet à Regulis Juris communis, & remittitur juris dispositio, etiam prohibitiva, *Gl. margin. ibid. lit. G. Gail c. l. n. 9.*

XXIV. Quintò cessat nunciatio novi operis, si Prætor renunciationem permissam revocavit, *l. si opus 16. ff. h. t.* Sextò cessat nunciatio novi operis, ita ut non liget nunciatum, sed impunè contemni possit, si certò, & notoriè constet, quòd edificare volens habeat jus edificandi, adeoque manifestum sit, quòd nuncians injustè novum opus prohibeat, *Abb. in c. 1. n. 10. h. t. Gail cit. obs. 16. n. 4. Mol. cit. dis. n. 2.* Ratio est, tum quia, ut ait *Abb. c. l. n. est verisimile*, jura velle dare locum figmentis, delictis, & deceptionibus, sed potiùs quòd injurias prohibeat, & delicta pœnis coercet: At si jura vellent, ut is, cui denunciatum est novum opus, edificare cesseret, etiam si manifestum sit, quòd nuncians nullum jus inhibendi, nunciatus verò edificandi habeat, injurias, & delicta juberent: tum quia non est præsumendum, quòd Prætor æquitatis amantissimus voluerit, ut nunciatio evidenter, & manifestè injusta liget edi-

ficantem. Neque obstant Leges, quæ in contrarium allegantur, & dicunt, quòd si opus jure factum sit, si opus injurià, & si opus quis jus faciendi habuerit, si opus non, interdictum locum habebit, & permittitur, ut per denunciationem inhibeatur, *l. 1. in princ. & l. Prætor 20. ff. h. t. l. 1. §. Parvi, ff. Quod vi, aut clàm.* Nam similia jura intelligi debent, non de nunciacione manifestè, & notoriè injusta, si constet denunciati jus nunciandi non competere, sed de ea, de qua aliquo modo dubitatur, num sit valida, & justa, an verò injusta: quo casu et si appareat, vel existimetur esse injusta, nihilominus obligat: non item si sit manifestè injusta, nam Leges non sunt censendæ favere manifestis injurijs, neque æquitas patitur, ut ad manifestè iniqua extendantur, *Abb. c. l. n. 10. Mol. c. l. n. 2.* Prædictis addendum, quòd etiam proprià auctoritate, opus à vicino factum in eo, quod possideamus, liceat destruere, modò incontinenti fiat, & non ex intervallo, *l. 3. §. Cum igitur ff. de vi, & vi arm. quia tum videtur vis vi repelli, quod licitum est,*

*Zaf. ff. h. t. n. 16.*

—§§—

## T I T V L V S XXXIII.

### DE PRIVILEGIIS, ET EXCESSIBUS PRIVILEGIATORUM.

Actum est suprà de Excessibus Prælatorum, & Subditorum: sed quia subditi quandoque delinquant, abutendo Privilegijs suis, vel excedendo terminos eorum, & sæpius etiam dubitatur de intellectu Privilegiorum, ideo in hoc Titulo agitur de Privilegijs, & Excessibus Privilegiatorum, qui extat etiam in Sexto, Clementinis, & Extravagantibus Joannis XXII. & Communibus.

#### SECTIO I.

#### DE PRIVILEGIIS IN COMMUNI.

##### §. I.

*Quid sit Privilegium, & an ad illius substantiam requiratur scriptura, & quomodo à dispensatione differat?*

I.

**P**remittendum, quòd Privilegium accipitur interdum pro Rescripto, seu Instrumento, in quo gratia, beneficium, seu indulgentia Principis continetur, & conceditur, ut in *c. Cum dilecta 4. de consensu, & confirm. c. Ex parte 13. h. t.* frequentius autem, & magis propriè accipitur pro ipso jure, beneficio, seu gratia alicui concessa à Principe, *Suar. l. 8. de legib. c. 1. n. 1.* & in hoc sensu de privilegijs hic potissimum agitur.

II. ASSERTIO I. Privilegium, prout est beneficium, seu gratia concessa à Principe, potest accipi,

Tomus V.

vel latè, vel strictè. Latè sumptum est veluti lex privata speciale aliquod beneficium, vel favorem concedens, *c. Privilegia 3. dis. 3.* Dicitur autem privilegium lex, non quòd rationem propriè dictæ legis habeat, quia particulares etiam personas respicere potest, ita ut ad alias non pertineat, neque etiam obligationem continet, respectu ejus, cui datum est, quia nemo beneficio uti cogitur, *reg. jur. 70. in ff. quamvis privilegium habere possit rationem legis, quoad alios, quibus præcipitur, ut illud observari faciant, vel prohibetur, ne impediant, aut se opponant, dummodo privilegium sit sufficienter promulgatum, vel ab ipsis cognitum, Laym. in c. 1. n. 5. de Constitut.* Deinde dicitur privata lex, quia jus speciale, si ve singulare concedit, saltem præter, si ve ultra Jus commune: nam de ratione privilegij est, ut concedat aliquid speciale, quod Jure communi non est concessum, alioquin inutile foret, juxta *c. Abbate 25. de V. S. ubi circa finem dicitur, cum privilegium sit lex privata &c.* non esset autem privata, nisi aliquid specialiter indulgeret, *Suar. cit. c. 1. n. 3. & 4.* Privilegium verò strictè, ac propriè dictum, est alicujus rei, si ve juris specialis contra Jus commune, ex Principis benevolentia, concessio, *Gl. in c. 1. V. Noceatur in fine de Constitut. in 6.* ubi ait, si rescriptum concedit aliquid contra jus, mutat nomen rescripti, & dicendum

A a a

est pri-